

illius mansi ipsi massario nomine canonice, prestita securitate a massario illi Gislardo, quod si sententia fuerit retractata per supplicationem, quod restituat rem cum legitimis augmentis. Et statim nominatus massarius nomine canonice dedit ei wadium in pena c. librarum, quod si sententia fuerit retractata, quod ita attendet. Fideiussor fuit Caputlupi. Actum in presentia magistri Iohannis, Iohannis Boni Rovarii, Iohannis Boni Divitis, Florii, Iohannis Bonepartis, Azoli, Petri et aliorum, in domo communis, indictione x. Ego Pelegrinus sacri imperii notarius interfui et scripsi.

X. Anno domini m.c.lxxxii., indictione x., die martis x. intrante marcio, presentia Trivisii de Gugno, Arponis decani canonici Tarvisini, Conradini, Vidonis de s. Zenone, Iohannis et aliorum. Scirata prece d. E. de Romano Tarvisii potestatis ex iussu et auctoritate ipsius potestatis misit atque in tenutam posuit Ambrosium Tarvisinum canonicum et massarium pro Tarvisina canonica de manso in integrum, tam pro ipso, quam de vineis, arboribus cum terris et pratis intus et foris ad illum mansum pertinentibus, qui iacet in s. Zenone, qui fuit Alexii patris Gislardini, de quo lis inter Ambrosium nomine canonice et ipsum Gislardinum vertebatur. Preterea idem Ambrosius pro canonica Tarvisina et nomine eiusdem canonice in eundem modum, ut superius legitur, de ipso manso tenutam intravit ex iussu suprascripte potestatis, propter sententiam latam a iamdicta potestate pro canonica Tarvisina et pro rationibus eiusdem canonice in integrum. Actum in s. Zenone in curia domus suprascripti mansi.

Item eodem die et loco, presentia Trivisii de Pugno, Arponis, Vidonis de s. Zenone et aliorum. Scirata prece ex parte potestatis d. E. de Romano Tarvisii precepit Gislardino de s. Zenone in banno xxv. librarum denariorum, quod de hinc ad diem dominicum proximum debeat exire et evacuare mansum, qui fuit patris sui condam, dicens, quod nullo modo debeat devastare vel auferre domum iamdicti mansi, que iacet in s. Zenone, nec aliquid de rebus eiusdem mansi.

Item eodem die, presentia Trivisii de Pugno, Arponis decani, Iohannis et aliorum. Scirata prece d. E. de Romano Tarvisii potestatis misit atque in tenutam posuit Ambrosium Tarvisinum canonicum nomine eiusdem canonice Tarvisine et massarium de molendino, quod iacet in sancto Zenone, tam pro illo, quam pro omnibus rationibus ad illud molendinum pertinentibus in integrum, quod est de manso prenominato. Actum in s. Zenone iuxta illud molendinum. Ego Leonardus imperialis notarius interfui et scripsi.

Nach dem Drucke: (Calogera) Nuova raccolta d'oposcoli scientifici e filologici 34, 35 aus dem Kapitelsarchiv zu Treviso; N. VIII auch bei Verci Storia della Marca Trivigiana 1. 38. — <sup>1</sup> Dr. *sabbati* 6. l. 5; wohl Korrektur des Herausgebers, da Samstag auf Oct. 27 fiel. Die Reihe dieser Urkunden gibt einen bestimmten Beleg, dass die Indiktion hier erst mit dem Inkarnationsjahre gewechselt wurde. — <sup>2</sup> Verci: *audiendas*. — Vgl. § 119 n. 5 u. Nachtr.; 169 n. 2; 239 n. 17; 241 n. 3; 242 f. 7; 577 n. 20. 31; 593 n. 9.

**178.** *König Heinrich VI löst die von Ferrara vom Banne und verleiht ihnen unter angegebenen Bedingungen alle Regalien in angegebenem Bezirke. Bologna 1191 Febr. 12.*

In nomine sancte et individue trinitatis. Henricus sextus divina favente clementia Romanorum rex semper augustus. Regalis maiestatis nostre celsitudo, sicut rebellium contumaciam ultrici gladio debite percellere consuevit, sic amplecti et munificentie dextram ipsis propensius extendere. Noverit igitur universorum imperii fidelium tam presens actas, quam successiva posteritas,

quod nos attendentes preclara servitia, que fideles nostri Ferrarienses plerumque imperio exhibuerunt, et inposterum creduntur iugiter exhibituri, banno, quo eos felicitis memorie serenissimus pater noster Fridericus Romanorum imperator augustus innodavit, extrahimus, apud gratie nostre plenitudinem ipsos excipientes; statuente etiam, ut supradictum bannum, quo fuerunt innodati, nullo modo eis faciat preiudicium. In nostre quoque maiestatis defensionem et protectionem eos recipimus. Adhec concedimus predicto communi Ferrariensi iurisdictionem seu districtum in civitate Ferrariensi, et extra civitatem a mari usque ad Tartarum; item usque ad medium portum Laureti; item Comaclum cum suo comitatu; ex alio latere Padi usque ad fossam de Bosio; ex alio latere Athesis a bocca veteri et salva terra descendendo per Athesim usque ad districtum Venetorum, et ex alio latere a flumine veteri in transversum usque ad districtum Bononiensem; nominatim autem concedimus eis Pontem ducis cum suis pertinentiis. Preterea regalia, que habemus vel habebimus intra predictos terminos, ipsi concedimus salvis appellationibus. Item omnia iura et consuetudines, quas hactenus intra prenominos terminos habuerunt Ferrarienses, eis confirmamus. Pro his autem omnibus predictis concessis solvent Ferrarienses annuatim imperio x. marcas argenti in kalendis martii, et eas nuncio imperatoris vel regis, qui pro tempore erit in Lombardia, assignabunt. Adhec monetam eis, sicut in litteris apertis prenominati patris nostri Friderici Romanorum imperatoris continetur, auctoritate regia confirmamus. Adhec Ferrarienses, qui sunt in aetate xv. annorum usque ad lxx. annos iurabunt nobis fidelitatem contra omnem hominem, et<sup>1</sup> iuramenta fidelitatis renovabunt quolibet quinquennio, si requisiti fuerint per nuncium vel per literas nostras. Item Ferrarienses non intrabunt illam maguam seu communem societatem Lombardie; sed si pro necessitate guerre vel pacis volunt societatem inire cum aliqua civitate vel persona, hoc bene permittimus salva fidelitate nostra. Ut autem hec nostre celsitudinis concessio firma et inconvulsa permaneat, presentem super hoc paginam conscribi fecimus et eam maiestatis nostre sigillo communiri.

Huius rei testes sunt: Gotefridus patriarcha Aquilegiensis, electus Ravennas Willielmus, Bonifacius Novariensis episcopus, Otto Frisingensis episcopus, Ardicio Mutinensis episcopus, prepositus Sigelous, Conradus dux de Rotenberc, Bonifacius marchio Montis ferrati, marchio Opizo Estensis, Henricus Testa mariscalcus, Henricus camerarius de Lutra, Iacobus Trotte, Ottolinus de Mainardo, Susinellus, Petrus bonus de Pagano, Menabos; consules Ferrariae: Taurrellus, Salinguerra, Presbyterinus, Iacobus, et alii quam plures. Signum domini Henrici sexti Romanorum regis invictissimi.

Ego Ditherus imperialis aule cancellarius vice domini Philippi Coloniensis archiepiscopi et totius Italie cancellarii recognovi. Acta sunt hec anno domini m.c.xci., indictione ix., regnante domino Henrico sexto Romano rege gloriosissimo, anno regni eius xxii. Data Bononie per manum magistri Henrici imperialis aule protonotarii, primo idus februarii. Dedit Bernardino de Covriaco<sup>2</sup> militi curie in mandatis, ut ducat eos in possessionem Pontis ducis cum omnibus regalibus, que continentur in supradictis finibus.

Nach dem Drucke: Würdtwein Nova subsidia diplomatica 12, 36 aus Hs. der Vatican. Bibl., Christina 378. — <sup>1</sup> Dr. ut. — <sup>2</sup> Dr. Bernardino de Covriaco; vgl. § 501 n. 49. — Vgl. § 306 n. 14; 340 n. 17.

**179.** *Formel für die Bestellung eines Iudex und eines Scriniarius durch den Pabst. (1192.)*

Qualiter iudex et scriniarius a Romano pontifice instituitur. Quum